

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

Sectio VIII. Effectus omissae protestationis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

Sect. VIII. Effectus omissae protest. 51

acceptatione sopra protesto etc., non est quod hic plura monenti, ne ex isto, quod mihi percurrentum proposui, stadio nimis aberrem *).

S E C T I O N E V I I I .

Effectus omissae protestationis.

§. 61.

1) *Protestationis omissio processu cambiali privat.*

Jus processu cambiali utendi prorsus amittitur ab eo, qui protestationem vel omnino omisit vel saltim non tempore praescripto et necessario (§. 45.) instituit **; et iste quidem, quoniam probatione confessum liquida et in processu cambiali admissibili (§. 6. lqq.) destituitur; hic vero, quia protestatio tardius facta non docet, nullam in mora culpam esse versatam, nec omnino de iis testetur, quae usque ad protestationis institutionem forte acciderint, cum notario non nisi circa hoc, quod in sensu ejusdem eadit, fides habenda sit, et similis semper circa instrumentum judiciale ratio occurrat.

§. 62.

2) *Non vero ordinario.*

Omissio vero processum cambialem instituendi jure, non omnino excidit omnis juris prosecutio. Salva in
G 2 ge-

*) Non vero omnino sufficere deperditis ipsis literis cambialibus solum protestationis instrumentum ad processum cambialem fundandum ex ipsis protestationis natura supra exposita facile patet cf. etiam *allg. pr. LR. P. II* §. 1180.

**) cf. Frankfurtische Wechselresp. P. I, resp. 15, pag. 17, 18.



genere manet petitio indemnitatis contra quoscunque, quos alias regressus tenet; sed non nisi processus ordinarius petenti patet, cum mediis probandi confessim liquidis et plenae probationi sufficientibus destituatur. Suffragantur etiam huic opinioni complures constitutiones cambiales *), ac doctores **); quanquam non desint, qui omnem omnino actionem post protestationis omissionem tum in processu cambiali, tum etiam ordinario denerent ***). Id quod non nisi in eo casu justum et aequum censeo, cum hi, contra quos alias regressus pateret, omissione protestationis culposa damnum perpetui sint. Culparam enim qui commiserit, ipse sentiat. Hanc ergo limitationem regulae praecedenti adhuc esse adjiciendam censeo ****).

*) cf. *Allg. preuss. Landr.* §. 1015. 1054. 1063. — *Poln. Wechselordn.* v. 1775. §. 2. n. 5. in UHL. cont. IV. pag. 5.

**) e. g. *SIEVEKINGIUS* §. 142. 143.

***) Ex his esse videntur e. g. *RICCIUS exerc. X. Sect. 5. §. 10.* ibique citati, cf. etiam *Frankfurt. Wechselrefp.* P. I. resp. 11, n. 13. sqq. pag. 14. 15.

****) cf. *SIEVEKINGIUM* l. c., qui etiam, quomodo culpae istae probatione quodammodo te munire possis, §. 145. docet.

